



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 1. Nonnulla de appetitu præmittuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

materiæ potentialitas, & perfectibilitas actuanda, & perficienda per formam. Voces apud multos inuenimus, quibus materiæ essentia significetur, quid tamen rei sub illis contineatur, profectò explicatu facile non est: id ego explicare conabor.

29

In primis suppono materiam intrinsecè, hoc est, secundum suam entitatem, & secundum suam prædicatam essentia non perfici per formam, neque formam per materiam, quia quælibet habet suam entitatem distinctam ab alia cum omni perfectione pertinente ad sui constitutionem. Suppono secundò formam non ordinari primariò ex se ad dandam materiæ perfectionem, vt ipsa materia perfecta sit, & propter ipsam materiam, aliàs forma substantialis non esset substantia, sed accidens, quicquid enim est propter aliud, quod ad illud supponitur rationem habet constitutionem accidentis, repugnantem cum constitutio substantiæ, quod est esse per se, hoc est, intentum esse propter se, & non propter aliud, quod ad ipsum opponatur. Tertiò suppono materiam & formam ordinari per se ad compositum quod nemo negabit, neque probatione indiget. Quartò suppono ex passionibus, & proprietatibus quasdam cõuenire composito ratione formæ, aliàs ratione materiæ, ratione formæ dicitur homo rationalis, & ratione materiæ dicitur corporeus. Vltimò suppono omnes proprietates, quæ tribuuntur toti composito, & illud denominant aliquo modo tribui cuiusque parti incluse in illo, licet immediatè ratione sui non conueniat, quod sic probò. Cùm dicimus *homo est rationalis* potentia ratiocinandi de aliquo inadæquatè distincto ab anima prædicatur, diuersæ enim sunt prædicationes istæ *anima*, seu *forma hominis est rationalis*, & *homo est rationalis*, aliquid enim additur ex parte subiecti cùm dicimus *homo est rationalis*, quod non est in hac prædicatione *anima est rationalis*, id verò quod additur est materia: ergo potentia ratiocinandi, quæ tantum conuenit homini ratione formæ, aliquo modo prædicatur de materia. Idè dico in hac prædicatione in qua dicitur homo est compositum materiale, in quo materialitas, prædicatur de toto composito, & consequenter de omnibus partibus, quas includit, quæ ab illo non distinguuntur, & tantum ratione materiæ, & non ratione animæ, quæ immaterialis est materialitas homini conuenit. Hæc omnia existimo certissima apud omnes esse debere.

30

Ex his infero, inter extrema, quorum neutrum ordinatur ad perfectionem intrinsecam alterius, qualia sunt materia, & forma, illud extremum, quod ratione alterius à se distincti habet nobiliora prædicata, & perfectiores proprietates quasi passiuè communicat, dici perfectibile ab altero, & per hanc rationem constitui in ratione materiæ. Illud verò, quod ratione sui habet in composito nobiliora prædicata, & ea quasi actiuè communicat alteri extremo, dicitur illud perficere, & per hanc rationem constituitur in ratione formæ, quæ est perfectio, & pulchritudo compositi, & consequenter alijs compartis, de quo modo supra explicato aliqua ratione dicitur quicquid de toto composito prædicatur. Cùm verò omnia composita substantialia vix prædicatum aliquod habeant ratione subiecti communis, quod non participant ratione alijs compartis, ratione cuius plura participat prædicata, quæ ratione subiecti communis non haberent, sit quod subiectum commune dicatur perfici ratione prædicatorum, quæ in toto participat ab altera comparte, ratione cuius participationis constituitur subiectum informationis, & per aliam compartem informatum, & compars alia cuius sunt propria prædicata, plura & nobiliora, quæ in subiecto reperiuntur, illius forma, species, pulchritudo, & perfectio, quæ totum, & alia compars in toto perficitur iure dicitur.

31

Rem declarabit exemplum: homo dicitur præfens, durans existens, relatus: hæc omnia prædicata æquè propria sunt materiæ, & formæ, sicut enim formæ proprior præsentia correspondet, sic materiæ & sic de omnibus de duratione, &c. dicitur potius videre, potius audire, intelligere, amare, se progressiuè mouere: Hæc omnia prædicata habet totum ratione formæ, quæ est principium illorum, illaque toti communicat in toto alteri comparti modo supra explicato. Dicitur materiale compositum, quod prædicatum habet homo ratione materiæ, quæ materialis est. Dicitur quantus per quantitatem superadditam, quæ forsitan æquè conuenit homini ratione materiæ, & ratione

formæ, propter rationes, quas n. 22. expendebam: Propter hanc rationem rationalis anima forma dicitur, & subiectum commune materiæ appellatur. Idem sentio in quocumque alio composito possibili, etiam si illius partes determinatæ sint ad mutuam vnionem, ita vt neutra possit alteri specie distinctæ vniri, sicuti de materiæ, & forma cœli plures sentiunt in quibus compositis extremum illud forma dicitur, quod nobiliora, pluraque prædicata toti communicat, & alterum quod pauciora, & ignobiliora, materia dicitur. In compositis accidentalibus aliter perfectio accidentalitatis formæ explicanda est, quod controuersia proximè venturà præstabo.

Totam hanc doctrinam confirmo ratione à priori desumptà ex natura partium essentialium compositi, quarum totum suum esse est ad totum componendum, quod præstant per communicationem propriæ entitatis, quam quasi toti tradunt per vnionem per quam sunt entitates totius: ergo materia, quæ per omnia prædicata intrinsecam, quæ in se habet, terminat vnionem ad formam, se totam, & omnia prædicata illius toti exhibet; formaque per mutuam terminationem vnionis, totam suam entitatem toti committit, in quo vtraque pars mutuò prædicata alterius participat, & per illa perficitur: ergo illa quæ absolute plura, & nobiliora prædicata ab alia passiuè communicat absolute per illam vnionem, tanquam per cau salitatem & per aliam compartem tanquam per formam perfectam euadet; alteraque, quæ quasi actiuè eadem prædicata communicauit suæ comparti in toto, perfectio totius, & suæ compartis dicitur ratione cuius species, pulchritudo, formaque compositi, & alterius compartis dicenda est.

Obijciens: sequi ex dictis quod si forma substantialis v.g. equi vniretur alteri extremo, nobiliori cum quo totum essentialitè constitueret, quod illud nobiliora prædicata toti adduceret, ex quo inferetur rationem partis formalis in forma equi intrinsecam non esse. Respondeo conditionalem esse veram, Sequelam verò falsam, quia implicat purificatio conditionis, forma enim equi tantum potest essentialitè vniri materiæ quæ de facto datur, & si alicui eiusdem speciei vniri posset, non ita ab hac differret, vt perfectionem equinæ formæ excederet. Sed demus possibilem esse vnionem essentialem formæ equi ad aliud extremum perfectius formæ equinæ, tunc compositum illud esset specie distinctum ab equo, qui modò est, cuius pars materialis esset extremum illud, quod modò est forma equi, quia respectu illius compartis perfectioris perfectibile esset. Neque ex hoc inferetur rationem formæ extrinsecam esse, quia in illo casu hæc forma, quæ modò est forma equi, intrinsecè haberet rationem formæ in ordine ad hoc compositum, scilicet equum, & intrinsecè haberet rationem materiæ in ordine ad aliud, quod resuleret ex ipsa entitate, quæ modò est forma equi, & ex alia comparte essentiali, quæ plura, & nobiliora prædicata, secum asferret. Dubitabis, quid fieret si vnirentur duo extrema æquè perfecta, quorum vtrumque per se sumptum, tot, & æquè perfecta prædicata toti communicaret? Quod soluam Controv. 5. Punct. 4.

PUNCTUM IV.

De Appetitu materiæ ad formas substantiales.

In re purè metaphorica, quæ non nature regulis, sed tantum laxa quadam similitudine præscribi potest, facile cuique est iuxta proprium arbitrium rem componere, idè difficilior aliquid dicere, quod omnibus arideat. Præmittam nonnulla de appetitu, & deueniam postea ad specialem materiæ appetitum.

S. I.

Nonnulla de appetitu præmittuntur.

Appetitus, omni metaphorà seclusa, est actus volitiue potentia, quo fertur, & propendet in bonum sibi medià cognitione propositum: vnde appetitus tantum in viuientibus sensitiuis inuenitur, materialis in purè sensitiuis: spiritualis rationalibus: materialis, & spiritualis in homine, qui est viuens sensitiuum rationale. Ex his viuientibus per translationem actu appetitus de potentiis naturalibus dicitur

dictus est, sicut enim viuens fertur in obiectum per actum superadditum, & elicium (ratione cuius appetitus dicitur elicitus) sic inanimata potentia fertur in obiecta sibi conuenientia per propriam, & innatam propensionem, quae ratione appetitus innatus dicitur: sic terra deorsum, & ignis sursum fertur. Appetitus hic non distinguitur ab ipsa potentia, quae per se ipsam est propensa & inclinata ad actum, ita PP. Conimbr. 1. Physic. c. 9. quaest. 5. & communiter Doctores, qui de hac re disputant. Ratio est, quia actus appetitus consistit in propensione, & pondere ad obiectum appetitum, sed potentia ad aliquem effectum habet secum identitatem propensionem, & pondus ad obiectum: ergo habet identitatem non solum principium appetitus, sed etiam ipsum actum appetendi.

Dupliciter potest considerari potentia in ordine ad suos effectus: primo secundum suam entitatem, & virtutem praesensam a reliquis circumstantiis, quae requiruntur ad effectum producendum: secundum iam in actu primo constituta ad effectum producendum per consortium circumstantiarum, & principiorum, quae ad effectum requiruntur. Hoc secundo modo constituta est proxime potens ad suos effectus producendos; primo modo tantum est potens remotè, quia entitas secundum se sine aliis circumstantiis requisitis, nihil absolute producere potest, v.g. ignis sine applicatione ad passum non potest calorem producere. Ex hoc inferunt doctores recentiores virtutes appetitus tantum appetere effectum, quando in actu primo sunt proxime potentes illum efficere, non vero quando sunt sine aliis circumstantiis sine quibus non valent in effectum prorumpere, quia appetere est exigere, nulla autem entitas habet exigentiam ad aliquem effectum in illo statu, in quo non potest illum exhibere in aliquo genere causae. Ex quo inferunt materiam nudam esse in dispositione, nullam appetere formam, quia nullam potest recipere, & dispositionibus ad formam hominis informatam, non appetere formam equi, quia illam non potest recipere dum dispositionibus ad formam hominis occupatur.

Iniciis ire non potero diuersam exigentiam dari ad effectum, quando iam causa ista est in actu primo constituta ad illum, & quando tantum supponitur secundum suam entitatem, ratione cuius dicam lib. 2. Controvers. 6. Punct. 3. tantum dari violentiam contra virtutem in actu primo constitutam, non vero contra entitatem causae existentem, sine aliquo ex praerequisitis ad operandum: non tamen ideo dicendum existimo, virtutem productiuam effectus appetitum ad illum non habere, quovisque sit in actu primo ad illum, sufficit enim ad appetitum metaphoricum constituendum causam secundum suam entitatem respicientem effectum contentum in sua virtute, quem produceret si haberet omnia requisita ad illum, quia ex sua natura & quatenus est ex se, est determinata ad tales effectus producendos, quia illis indiget ad sui perfectionem, quos si non producit, ideo est, quia illi deficiunt reliqua ad talem effectum praerequisita. Probo hanc conclusionem omnium ferè philosophorum plausti, qui vno ore affirmant, materiam appetitum habere ad omnes formas, quibus caret, in quibus non pauci corruptas etiam includunt. Ideo antiqui materiam primam adulteram vocabant, quia dum suo gremio formam hanc fouet, aliam appetit, & consequenter destructionem huius machinatur. Ratione eandem conclusionem probo. Appetitus materiae (& sic omnium causarum) innatus, & intrinsecus dicitur: ergo consistit in entitate intrinseca causae: ergo ab illa separari nequit: ergo non dicit virtutem cum omnibus in actu primo constitutis, aliis appetitus formaliter consisteret in entitate intrinseca causae, & in aliis quae illam circumstant, & ita saltem inadaequatè ab ipsa causa distingueretur.

Confirmo eandem conclusionem: exigentia, quae est respectu formae producendae, quando est materia prima cum omnibus suis dispositionibus, formaliter consistit saltem inadaequatè in ipsis dispositionibus, quae formaliter exigunt productionem formae: ergo si actus appetitus consistit in hac exigentia: Actus appetitus non est adaequatè innatus, & intrinsecus materiae primae, sed praecipue consistit in ipsis dispositionibus, quae exigunt formae productionem. Virgo argumento desumpto ad hominem contra ipsos recentiores. Appetitus ut ipsi tradunt ex P. Vasq. 1. 2. disp. 22. cap. 2. num. 8 & 9. & Arubale 1. p. disp. 2. c. 2. consistit in relatione transcendentali potentiae ad effectum: sed relatio transcendentalis consistit in entitate causae secundum se

Franc. de Guiedo, Philosoph. Tom. I.

sumpta: ergo appetitus consistit in entitate causae secundum se sumpta, seclusis aliis, quae pertinent ad constitutionem adaequatam actus primi.

Ceterum cum exigentia ad effectum sit appetitus ad illum, & necessum sit, aliquam exigentiam admitti in actu primo adaequato, quae non sit in entitate intrinseca causae secundum se praecise sumpta non potest non admitti aliquis appetitus ad effectum innatus actui primo adaequato, qui non conueniat entitati causae praecise sumptae. Ob id ego duplicem appetitum distinguem: alium efficacem consistentem in actu primo adaequato respectu effectus, qui necessario inferitur ex illo (loquor de appetitu actus primi virtutis non liberae, sed necessario operantis); alium appetitum efficacem vocarem, qui consistit in entitate intrinseca causae secundum se sumptae: hunc efficacem appello, quia absque vlla violentia propria, & stricta potest non coniungi cum re appetita: & illum efficacem, quia non nisi per impedimentum violentiam inferens potest non coniungi cum obiecto appetito. Distinguantur hi appetitus tanquam includens, & inclusum, appetitus enim efficax qui consistit in actu primo adaequato ad effectum, includit efficacem, quem constituit in virtute intrinseca causae ex qua, & ex aliis principijs, & circumstantiis actus primus adaequatus componitur. Est insuper alia differentia in his appetitibus inspicenda. Appetitus efficax est practicus, ex vi cuius exercetur effectus, qui virtutem productiuam determinat ut talem edat effectum; appetitus vero inefficax practicus non est, quia ex vi illius neque causa determinatur, neque determinari potest ad effectum producendum. Sicut enim in actibus appetitus elicit, illum actum practicum vocamus, qui virtutem executricem determinat ad operationem imperatam, v.g. deambulationem extremam, & illum speculatiuum dicimus, qui nihil influit in effectum, sicuti desiderium, quod ego habeo pluuiarum venturae, sic in appetitu rebus innato philosophandum.

Venio iam ad explicanda obiecta utriusque appetitus. Appetitus inefficax vnus se tenet ex parte principij productiuum qui respicit effectus omnes, quos in se continet, quos simul appetit similitate se tenente ex parte potentiae, producendos tamen non omnes simul, sed illos qui secundum virtutem causae simul possunt ab illa pendere, neque reliquos successinè absolute producere appetit, sed tantum casu quo cesset à productione, & conseruatione horum, sicuti de materia prima respectu formarum dicam postea, dicitur tamen omnes appetere, quia ex omnibus appetit producere hos, vel illos, plures, vel pauciores secundum maiorem vel minorem virtutem quam habet causa ad plures vel pauciores effectus simul producendos. Exempli gratia, potest haec causa producere successinè finitos, aut infinitos effectus, & simul tantum quatuor, causa illa simul appetit producere omnes similitate se tenente ex parte appetitus, & tantum quatuor simul similitate se tenente ex parte obiecti, & reliquos tantum casu quo cesset à productione & conseruatione horum, quibus est satiatus appetitus causae, qui exercet totum id, quod potest. Ratio est facilis: causa appetit producere effectus, quos potest: potest omnes producere: ergo appetit omnium productionem: potentia ad omnes est simul: ergo appetitus ad omnes ex parte actus erit simul: tantum potest quatuor simul producere, similitate se tenente ex parte effectuum, & reliquos casu, quo cesset à conseruatione horum: ergo id solum appetit.

Appetitus se tenens ex parte materiae est duplex in ordine ad duplicem terminum distinctum, vnus ad formas recipiendas in genere causae materialis, quae importat in materia virtutem receptiuam illarum. Alter est ad formas sibi vniendas, qui ex parte materiae dicit virtutem terminatiuam vniōis, & virtutem causandi intrinsecè totum eo modo, quo pars componens causa intrinseca dicitur. Hunc appetitum ad totum potius quam ad formam dicerem, quia respicit totum tanquam effectum, & vniōem tanquam causalitatem, non formam, sed totius. Hic appetitus siue ad formas, siue ad tota dicatur, respicit omnes formas, siue omnia tota, quae potest materia sibi vniere & componere, quia materia ex se potens est omnes formas sibi vniere, & omnia tota componere, qui appetitus ex parte potentiae est ad omnia extrema, non ut omnia acquirat, sed ut ex omnibus aliquod illorum obtineat, & ita dicitur ad singula sub conditione, siue ad omnia distinctiue modo explicando.

N

explicando. Neque materia prima appetit duas formas substantiales sibi simul vnire, & duo tota substantia componere, quia etiam si præcisè ex parte materiae nulla sit repugnantia, vt dicam Cont. 8. Punct. 2. repugnat tamen naturaliter ratione impossibilitatis formarum, & dispositionum.

9 Appetitus efficax seu actus primus iterum duplex est, vnus se tenens ex parte principij effectiui, alter ex parte materiae. De vtriusque terminis sic rem digero: Appetitus seu actus primus efficax semper respicit speciem determinatam termini, de quo nullus dubitat, respicit etiam terminum indiuiduū, iuxta opinionem, quæ effectuum indiuiduationem circumscribit temporis, loci, talis agentis, & passi attribuit, quia secundum hanc sententiam virtus actiua constituitur in actu primo in hoc tempore, & loco, cum approximatione ad hoc agens tantum est potens producere effectum illum, quem illæ circumscriptiones determinant, & tantum est ad illum in actu primo, & illum solum, & non alium intendere potest.

10 In opinione, quæ determinationem indiuiduorum causæ primæ concedit, censent graues Magistri, causam esse in actu primo ad omnia indiuidua illius speciei, sub distinctione producenda, scilicet æquè petere productionem omnium hanc, vel illam exercendam. Alia mihi mens est adhuc in hac sententia, existimo enim causam tantum esse in actu primo proximo ad illud indiuiduum, quod producit, & non ad aliud eiusdem speciei, & ita tantum appetere efficaciter illud indiuiduum, quod producit, & aliud sub distinctione. Duo principia ad hanc conclusionem statuendam, mihi sumam, vtrumque proprio loco probandum; Primum, virtutem actiuam creatam non esse in actu primo, quovis Deus applicet suam omnipotentiam ad concurrendam cum illa, quod probabo 2. Phys. Cont. 10. Punct. 1. Secundum: Deum determinare effectum indiuiduationem applicando suam omnipotentiam ad hunc effectum producendum, & non alium, quod probabo Controv. 10. Punct. 2. Ex quibus principiis sic arguo: Principium effectiui tantum est in actu primo ad illum effectum producendum, ad quem habet omnipotentiam applicatam: sed quando Deus determinat indiuiduationem effectus tantum applicat suam omnipotentiam ad illum effectum, & non ad alium eiusdem speciei, quod recentiores cum quibus agimus defendunt asserentes per applicationem omnipotentiae ad hoc indiuiduum producendum, & non aliud determinari à Deo illius indiuiduum entitatem: ergo quando Deus determinat hoc numero indiuiduum producendum virtus creata tantum est in actu primo ad illud: ergo non habet appetitum efficacem ad aliud.

11 De actu primo passiuo tenente se ex parte materiae aliter sentio. Affirmo materiam primam dispositam ad recipiendam & vniendam aliquam formam efficaciter appetere formas omnes illius speciei. Ratio est, quia dispositiones ex se non exigunt hanc numero formam, potius quam illam, neque ex parte passi requiritur specialis aliqua applicatio omnipotentiae, per quam passum in actu primo constituitur, quia omnipotentia tantum actiue, & non passiue concurrat: ergo tantum requiritur ad constituendum actum primum actiuum, non verò passiuum aut determinatum vniens ad formam: ergo ratione omnipotentiae actus primus passiuus non determinatur ad aliquam formam indiuidualem, sed alias ex se ad omnes subdistinctiones, quia materia disposita quatenus est ex se non potius petit hanc formam, quam illam: ergo absolute talis appetitus tenens se ex parte actus primi passiuus, seu terminatiui vniens ad formas, est ad omnes, vnam, vel alteram sub distinctione vniendam.

12 Dices actum primum passiuum determinari ratione actus primi actiui, quia id exigit materia proximè, & efficaciter, quod agens potest producere: Sed agens tantum potest producere formam indiuiduam ad quam est in actu primo: ergo materia tantum exigit illam formam indiuiduam. Respondeo materiam primam dispositam ad formam ignis independentem ab applicatione cuiusvis agentis naturalis constituti in actu primo ad recipiendam formam ignis, illamque efficaciter exigere, siue ab agenti naturali, siue à Deo producendam, quia quotiescunque materia est vltimò disposita ad formam, illam efficaciter exigit, & obinet, etiam si nullum sit agens naturale quod illam possit producere, vt patet in productione formarum viuientium, quæ ad exigentiam materiae dispositæ à Deo producuntur.

ex quo fit materiam dispositam ad formam, non magis exigere formam productam ab agente naturali, etiam si hoc sit applicatum, quam à Deo, cui incumbit mediare, vel immediate formam producere in materia disposita, & ita materia disposita ad formam ignis, etiam si habeat ignem applicatum, non determinatè exigit recipere formam illam indiuiduam, quam potest ignis producere, sed illam vel aliam ex innumeris eiusdem speciei, quas producere potest, quas omnes sub distinctione appetit, quod si semper recipiat illam, quam agens naturale potest producere, hoc non oritur ex indigentia materiae, præcisè, sed quia materiae exigentia illa forma est contenta, & agens naturale applicatum illam producere exigit. Ad argumentum in forma respondeo, id exigit materia quod agens potest producere, distinguo maiorem, id solum quod agens naturale potest producere, nego maiorem: quod potest producere agens naturale, vel Deus ad exigentiam materiae dispositæ, concedo maiorem: sed agens tantum potest producere formam indiuiduam: distinguo eodem modo: agens naturale & Deus à quibus, æquè materia exigit formam, nego: agens naturale tantum, transeat: deinde nego consequentiam.

Postquam hæc scripseram, totam doctrinam traditam inueni apud Nostrum Albert. 2. disp. 3. de Prædic. sublt. q. 2. n. 26. Vbi duplicem assignat appetitum innatum, vnum qui est per indifferentiam, quo dicitur materiam primam appetere omnes formas, qui à materia nullo modo distinguitur, & contra quem non datur violentia. Alium appetitum appellat per qualitatem superadditam ad talem, vel talem formam, sicuti materia affecta siccitate, & caliditate vt octo, dicitur inclinari ad formam ignis. En duplicem appetitum quem ego assignavi. Appetitus per indifferentiam, quem habet materia ad omnes formas, & ab illa non distinguitur, est appetitus, quem ego inefficacem appellavi. Appetitus per qualitatem superadditam est appetitus quem dixi efficacem esse & addere supra materiam primam dispositiones ad formam appetitam.

§. II.

De differentia inter appetitum desiderij & complacentiae.

14 IN appetitu elicitio duplex distinguitur actus, vnus desiderij & alius complacentiae. Vulgò dicitur appetitus desiderij qui fertur in obiectum absens, & complacentiae, qui tendit in obiectum præsens. Rem hanc sapientissimi recentiores illustrant, asseruntque appetitum desiderij non supponere obiectum non existentem in illo instanti temporis, sed posse voluntatem ferri in obiectum actu existens appetitu desiderij, cum enim quis actionem aliquam externam liberè exercet, actio illa in illo instanti, in quo liberè exercetur, oritur ex intentione efficaci illam exercendi, quæ intentio in se imbibitam habet rationem desiderij, ac proinde oritur ex desiderio illi coexistenti: ergo desiderium, & res desiderata, sicut intentio, & res intenta coexistere possunt: ergo desiderium potest esse de obiecto actu existenti: ergo non rectè explicatur ratio desiderij per absentiam obiecti. Desiderium affirmant hi recentiores esse actum, qui fertur in rem abstrahentem, id est, non prout exercitatur, vel factam, sed tantum in illam prout repræsentatur secundum se conueniens. Complacentiam dicunt respicere iam factam, vel possessam. Affirmant insuper ad desiderium requiri cognitionem repræsentantem rem, vt factibilem, & mouentem ad effectum rei. Ex quo inferunt desiderium, cum non supponat rem iam factam, esse principium morale illius effectiui, & Complacentia autem cum supponat rem extra causas nullo modo potest esse principium illius.

15 Ex hoc inferunt causas numquam habere appetitum complacentiae, sed tantum desiderij respectu effectiui, nam si causa haberet appetitum complacentiae, maxime respectu effectus, quem iam producit, sed respectu illius, quem producit, non est appetitus complacentiae, quia ille appetitus tendit in productionem illius, quam non supponit, sed respicit vt effectum, quia causa numquam efficit id, quod supponit, neque intendit producere, quod iam est productum; complacentia autem essentialiter supponit obiectum vt productum, & vt possessum. Circa effectum vt productum in instanti temporis precedenti nihil efficit, neque appetit causæ: ergo circa illum vt productum tempore precedenti causa nequit habere appetitum complacentiae, circa illum vt futurum nullus id adseruit, ergo causa nequit